


05

A

661





IN NOMINE JESU

De

ORIGINE ET

FUNDAMENTIS LOGICÆ

GENERALIBUS,

In Inclytâ Witebergensi Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS DURRII,


Dresd. Alumn. Elect. & Facult. Philos.

Adjuncti,

disputabit publicè

JOHANNES STRAUCHIUS,

Dresdensis.



In auditorio Veteri.

ad d. 11. April.

ANNO M. DC. XL.



WITTEBERGÆ,

Typis exscribebat JOHANNES HAKE.

23





05 A 661





I. N. J.

PRÆLOQVIUM.



TA SUMUS OMNES, UT
carè non tantùm æstimemus id,
quod admiramur ac magnifici-
mus; Verùm etiam ortum illius,
progressumque, nec non omnia
cum minimis maxima, cognoscere cupiamus.
In quanto habentur pretio eorum imagines, qui
in arte quâdam magni fuerunt? Quantâ oble-
ctatione aspiciunt has cotidiè, qui eandem ex-
ercent artem? Quàm cupidos sæpè emptores,
etiam frivolæ eorum in relictis res, post obitum
inveniunt? Epicteti lucernam mille drachmis,
baculum Protei talento venditum accepimus.
Itaque dubitare non possumus, quin gratum at-
que jucundum sit omnibus, qui Logica amant
studia, si illos artis hujus vel Inventores, vel qui
studio suo, ut accreverit optimè, dederunt ope-
ram, in tabulâ quasi colendos suspiciendosque
proponamus. Quemadmodum enim illi, quibus
magna quædam, & ampla hæreditas cernenda
A 2 est,

est, parentum, à quibus relicta, nomina libenter audiunt, tabulas cupidè legunt, dignitatemque hæreditatis ac præstantiam avidè percipiunt; ita quib9 larga artis Logicæ hæreditas adeunda est, parentum eorum, à quibus descripta posteris, nomina, studia, antiquitatem denique ac nobilitatem, jucundâ delectatione cognoscunt. Quapropter de hoc argumento, ex veteribus repetitâ memoriâ seculis, pauca quædam exponemus; post hæc verò generalissima Logicæ jaciemus fundamenta: quod, ut eveniat prosperè, supremum Numen conatibus hisce nostris propitium precamur.

POSITIO

I.

Dicturi igitur antiquos Logicæ Natales, primum quidè ab illo hujus Universitatis Parente, ac Opifice Deo, suam sumsisse originem affirmamus. Nam DEVS est *πανεπισήμων καὶ πάνσοφος*, Unus sapiens vehementer metuendus.

II.

Quia verò omne bonum sui communicativum est: DEVS O. M. ut in ipso mundi nascentis exordio præclaram rerum cognitionem hominum animis impressit: Ita & hoc ipsis concessit donum, cujus beneficio non minore certitudine Veritatem assequantur, quàm in erudito suo pulvere sine errore Geometra demonstrat.

III.

Proinde dubium non est, primos humani generis parentes & Patriarchas, cum reliquis disciplinis, Logicam quoque suis posteris

steris tradidisse, præsertim cum origini omnium rerum propiores, tantò præstantiorem intellectum nostro habuerint, quantò & vitæ diuturnitate, & temperatione corporis, nobis suprà quàm credi potest, fuerunt feliciores.

IV.

Omnium certè acutissimus Logicus Prometheus fuit, cui Plato in Philebo hanc laudem tribuit, præcepta Logica inventa ab eo, nobisque cœlitus delata esse: nec non eundem artificiosæ Methodi autorem tradit, cum Socrates docet, omnes homines naturâ Logicos esse, sed naturalem hunc humanæ rationis ardorem esse temerarium, nisi consilio regatur. Nulla verò (ait Socrates) via pulchrior est, nec esse potest, eâ, cujus amator semper fui: at frequenter effugiens, me solum & sollicitum destituit. Pro. Quænam est? exponatur modò. Soc. Quam declarare quidem facillimum est; adhibere autem & usurpare, difficillimum. Omnia enim quæcunque artibus comprehensa unquam reperta sunt, per hanc viam plana facta sunt. Considera autem quam dico. Pro. Dic tantum. Soc. Donum profectò Deorum (ut mihi quidem videtur) ad homines alicunde ex Dijs per Prometheum, unâ cum quodam igne clarissimo delapsum. Ac prisca quidem nobis excellentiores, & ad DEOS propius accedentes hoc nobis Oraculum tradiderunt, &c. Ita si primi Logicæ artis Magistri requirantur: DEOS scholæ hujus Magistros & Principes fuisse Plato respondebit, eorumque internuntium & interpretem fuisse Prometheum, id est, ut vix in dubio, Noachum, vel alium aliquem ex eruditissimo illo Patriarcharum Collegio, quod in libro Creationis cap. 5. numeratur. Dicitur enim vixisse post C. M. 1600.

V.

Misera autem illa & apud omnes homines deploranda *γλωττοσύγχυσις* huic nobilissimæ arti (ut cæteris etiam omnibus) non parùm obfuit. Nam gentibus linguis divisis, & in alium orbem quasi delatis, undique tenebræ ingruebant densissimæ.

VI.

Sed veritas ceu igniculus delitescere omninò non potest. Itaque omnibus temporibus, inter omnes homines, quidam fuerunt *θηρώται τῆς ἀληθείας*, qui improbo labore cœperunt excolere illum sciendi modum, qui, ut Minerva Diomedi caliginem ab oculis priùs absterfit, veritatem densâ nebulâ involutam evolvat & explicet. Cum lacte enim mater nobis propinavit sciendi desiderium, de quo sic Philosophus: *πάντες αὐθροῦτοι τὸ εἰδέναι ὀρέγονται Φύσιν*, quod est tanquam honorarium totius Philosophiæ exordium, dicto loco.

VII.

Instituerunt igitur doctissimi Patriarchæ (quos omnes insignes fuisse Philosophos tutò asserimus) imprimis Abraham, & qui ex familiâ ejus fuerunt, exercitia Logica, disciplinarumque penè omnium constitutiones ad vicinas gentes propagarunt.

VIII.

Hinc in Sacris laudatur sapientia Ægyptiorum, (Chaldæorum quoque & filiorum Orientalium) in quâ eruditus fuit Moses, cui præ cæteris non pœnitendam Logicorum præceptorum inventionem & auctorem tribuimus, ex eo capite, quia eruditus fuisse dicitur, in omnibus disciplinis Ægyptiorum, quod & de Josepho Ægypti illo magno Principe ac Parente rectissimè quis dixerit.

IX.

Sacerdotes ac Levitas, qui in populo DEI scholis præfuerunt, Logicam, à majoribus acceptis artificijs, tradidisse; ut & acumine Logico præditos quædam invenisse, extra dubium videtur. Quomodo etiam de posterioribus scholis judicandum, quas in DEI populo Prophetæ rexerunt.

X.

Est autem curæ pretium, illud quoque observasse, quod S. Scriptura disertè testatur de Salomone Maximo Rege, qui circa A. M. 2930. summa imperia gessit. Eum nimirum præter exemplum, omnes homines sapientiâ & cognitione rerum, antecelluisse. Nam

isse. Nam comparationem instituit, inter Salomonem & Philosophos, qui in Ægypto, Indiâ, & reliquis Orientalibus partibus, tum temporis, usu Logicæ, & omni Philosophicâ cognitione præstiterunt. Quin & disertam facit mentionem Logici actus, qui inter præcipuos numeratur, disputationis scilicet, & solutionis quæstionum acutissimarum, atque ænigmaticarum, quâ sese exercuit Salomon cum Tyrijs, qui tum disputationis laude & acumine, in proponendis solvendisque ænigmatibus, præ aliis populis excellebant; ut & cum Regina Æthiopiæ, in quâ singularem ingenij vim Scriptura S. commendat.

XI.

Plures ex Hebræis ob Logicæ peritiam jam non laudabimus, neque eorum recensimus monumenta Logica, Metaphysica, & similia, quorum terminos collegit Genebrardus in *Isagogâ ad legenda & intelligenda Hebræorum, & reliquorum Orientalium sine punctis scripta*. Certum tamen hoc est, Aristotelem (qui primus Athenis privatam Bibliothecam, ex omni genere librorum instruxit, idque Reges Ægypti facere docuit) multa ex Veterum Judæorum, Chaldæorum, & similibus monumentis, quæ Metaphysicam, Mathematicam, Physicam, Politicam, Logicam denique continebant, atque conservabant, hausisse. Sicut sententiæ huic plenissimam adstruit fidem Clearchus, Aristotelicæ Sectæ non ignobilis alumnus, in libro de somno.

XII.

Ab Hebræis ergo Logica ad filios Hebræorum, Chaldæos, ab his ad Assyrios, Ægyptios, Indos, &c. propagata est. Sed apud Hebræorum liberos exercitatio Dialecticæ erat singularis, non in Sophisticis & Scholasticis de arte ipsâ contentionibus, sed (ut Eusebius autor est) in explicatione historiarum, in Cantico-rum & Poëmatum compositione, in ænigmatum enodatione, & similibus.

XIII.

His omnibus Græci in omni disciplinarum possessione successerunt. Qui ut sapientiæ nomen atque famam, sibi tanquam propriam vendicabant: ita earum se inventores fuisse gloriabantur.

tur. Verùm quod non pauci ex ijs, quos antiquitas ob singularis doctrinæ nomen, tanquam primos scientiarum parentes venerata est, magnâ ex parte de barbaris fuerint, non foret difficile probatu. Ut falsus omninò sit Epicurus, qui neminem, nisi Græcum, idoneum esse ad Philosophandum, dixit: Cum ipsorum Græcorum & Latinorum multi se ab Orientalibus, quamplurima precario quasi accepisse, ingenuè fateantur.

XIV.

Inter Græcos verò à Veteribus Poëtis, quos omnis sapientiz instar Patrum & Ducum habebant, genus suum etiam Logica duxit. Fuerunt ejusmodi Duces sapientiz Linus, Orpheus, Musæus, Homerus, Hesiodus.

XV.

Post illos Poëtas effloruerunt septem sapientes, Thales, Solon, Periander, Cleobulus, Chilon, Bias, Pittacus, eorumque discipuli, à quibus postea certæ quasi familiæ ortæ & profeminatæ fuerunt.

XVI.

Etsi enim una & simplicissima sit Veritas, eaque immota & æterna, quæ à D E O originem habet, quæque in ipsis rebus cognoscendis & honestate fundatur: attamen dùm ingenuarum artium studijs, assiduoque labore abditam ac latentem inquirebant Veritatem, non unâ omnes institerunt viâ: sed partium contentione distracti, in varias Sectas & quasi Familias abiêre. In quibus quomodo Logica conservata & propagata porrò, paucis videndum est.

XVII.

Antiquissimæ familiæ fuerunt Jonica, & Italica. Jonica, à loco seu natione sic dicta est, quia cœpit ex Ἰωνία Jonia, Græciæ seu Asiæ minoris regione, vel ab autore Jonico. Nam primus ejus autor Thales fuit, Milesius, à Mileto Joniæ urbe nobilissimâ, à suis primus sapiens dictus, qui dubio procul gnavus ad Logicam fuit, eaque multum adjutus, Veritatem sæpè feliciter protraxit. Interim nihil, quod nobis in præsentiam constet, studiosis Logicæ in lucem dedit.

XIIX. Ex.

XIIX.

Excelluit in hâc familiâ Zeno Eleates, Vir Philosophiâ & Repub. nobilissimus, & cui Plato in Parmenide laudem inventæ Dialecticæ defert. Non quasi primus Logicæ inventor extiterit, aut quasi Logicum aliquod Systema integrè constituerit: sed, quia ea, quæ injuriâ temporum & hominum indiligentiâ, non solùm splendorem amiserant, sed vel omninò, vel propemodùm extincta erant, pristino nitore restituerit, ab interitu vindicavit, & novis inventis etiam illustriorem reddiderit.

XIX.

Et quamvis monumenta Zenonis omnia perierint; tamen ejus veritatis licet à Platone quiddam agnoscere, apud quem Parmenides significat, Socratem à Zenone in Dialecticis fuisse institutum.

XX.

Verùm Socrates nunquam Magister in scholâ fuit: nunquam artis cujusquam Professor ac Doctor videri voluit: imò literam nullam scriptam reliquit: è discipulorum autem: atque imprimis Platonis sermonibus, apparet satis, omnium Philosophorum superiorum, non solùm naturâ, sed arte & usu λογικῶτατον fuisse. Unde Aristoteles etiam affirmat, usque ad Socratem rudem mansisse Philosophiam, eumque primùm Universalia protulisse, & res definire cœpisse. Galenus initiò historiæ Philosophicæ, ipsi Ethicæ & Logicæ inventionem ascribit.

XXI.

Ex hâc familiâ Hippocrates quoque, Medicorum Parens, ortum habuit, & in Logicis aliquid tentavit, præsertim in artificio dividendi, ut Galenus & Socrates in Phædro Platonis testantur. Sed de familiâ Jonicâ hæcenus.

XXII.

Italica insequitur, quæ caput Pythagoram habuit. Samum enim patriam, à quâ Samius dictus est, à Tyranno Polycrate occupatam videns, Cratonem in Italiâ petijt, in eâ ipsius parte, quæ Calabria modò, olim magna Græcia dicebatur, ubi magno auditorum

B

torum

torum confluxu & nobilitate Philosophiam docuit, suamque familiam ipse Pythagoricam, à Regione Italicam appellavit.

XXIII.

Evidens autem indicium est, de Logicæ artibus à Pythagorâ nihil singulare esse institutum: quod quinquennij silentium discipulis imperavit, & ex omnibus Logicæ argumentis, unicum illud, expertis artis, tantum apud ejus discipulos valuerit, αὐτὶς ἔφαθ', ipse dixit. Ipse verò erat Pythagorâs.

XXIV.

Oriebantur ex hâc familiâ Parmenides & Archytas Tarentinus. De Parmenide narrant, in rupe quâdam sive sacello, solitarium & velut Eremitam, annos octodecim Logicis & Philosophicis speculationibus vacasse. Plato ejus nomine Dialogum Logicum inscripsit, vocavitque Parmenidem, ex quo etiam laudem aliquam Logicam deportare potuit.

XXV.

Archytas Tarentinus Pythagoricus nobilissimus, peritiæ suæ Logicæ memorabile specimen posteritati reliquit, in distinguendis decem Categorijs, quorum usum & ipse calluit optimè, & alijs quoque communicavit.

XXVI.

Postquam igitur rudis illa Priscorum & (ut Arist. vocat) balbutiens Philosophia, expressiorem in Soerate formam accepit, tria præcipuè Philosophorum genera ex Jonicâ familiâ prodierunt, Academicorum, Stoicorum, & Peripateticorum.

XXVII.

Epicurèi quidem quartum genus Philosophorum faciunt, non tamen ex Jonicâ, sed ex Italicâ familiâ, exiisse censentur. Et quia hi cum Aristippèis Logicam publico risu excipiebant, nec dignum aliquid memoratu præstiterunt in Logicis, eos etiam nihil moramur. Quamvis reverâ iisdem Logica quædam præcepta fuisse, Laërtius innuat. Non autem vocabant Dialecticam, cæterorum more, sed Canonicen.

XXIIX.

Academica Secta primò ponitur, ab Academo, Patritio Atheniensi nomen gerens, qui nemus quoddam suburbanum, ab Athenis mille passus distans, Philosophis donaverat. Unde Horatius:

Atque inter Sylvas Academi quærere verum.

XXIX.

Autor hujus Sectæ Plato, Logicam quoque non susque deque habuit. Idcirco in Dialogis varijs Logica immiscet: Interim hujus disciplinæ absolutum systema non conformavit; sed quædam *ὡς ἐν πηγδω*, formâ Dialogorum exotericâ congeffit. Nam ut Philippus Melanchthon inquit: primùm illud constat, Platonem non scripsisse ordine integras artes, sed liberioribus disputationibus aliàs de alio loco quid probaret, aut quid non probaret, ostendisse.

XXX.

Platonis nepos & auditor Speusippus fuit, quem Plato, ut Cicero ait, quasi Philosophiæ hæredem reliquit. Dedit hic libellum Logicum, sed tantùm inchoatum.

XXXI.

Cum verò omne corpus Paralyfi illi resolutum esset, accersito Xenocrate, oravit, ut sibi in docendo succederet. Fecit hoc, scripsitque nonnulla ad Logicam pertinentiâ, ut de divisione, genere, specie, contrarijs, de solutionibus rationum, de falso, &c. Sed vix semper decenti cum ordine.

XXXII.

Hæc fuit illa Academia, puritate & vetustate optima ac laudanda. Media verò nec diuturna fuit, nec aliquid notatione Logicâ dignum, in eâ observatur. Successit ergò tertia, nova, de gener planè à veteri, & quæ lumen Logicæ non tam auxit, quàm extinxit.

XXXIII.

Accedimus sectam Stoicam, quæ *ὑπὸ τῆς σῶας*, à porticu nomen obtinet; quod, ut scribit Coelius Rhod. in templorum porticibus

porticibus obversari consueverint, quo habitaculi sanctitate admoniti, non temerè aliquid, quàm divina cogitarent.

XXXIV.

Autor Zeno Cittacus vocabatur, qui Antigonum Regem auditorem habuit, dubioque procul Logicam magnificavit. Nam sectatores, Euclides, Ebulides, Menedemus, Alij, præceptionum aliquot Logices laudem cæteris nominatis hæctenus, præriperunt. Unde Augustinus de Stoicis ita sentit, Dialecticam apud eos maximè viguisse, & Stoicos maximos Dialecticos fuisse.

XXXV.

Cleanthes, Zenonis successor, sedecim libros Logicos fertur conscripsisse. Auditorem Sphæreum accepit, qui de definitionibus, de Prædicamentis, de Amphibolijs, literis quædam mandavit.

XXXVI.

Sed omnium non modò Stoicorum, verùm etiam Logicorum omninò Magistrorum, *πλυραφώται* Chrysippus, Cleanthis successor fuit. Dialectica laude insignis, libros Logicos 361 scripsit, quamvis adeò non elaboratos.

XXXVII.

Diogenes etiam ad sectam hanc pertinet, cujus quidem nullus de Logicâ liber à Laërtio nominatur: attamen quàm studiosus ejus fuerit, contentiones illæ cum Platone declarant. Platone siquidem de ideis differente, & nominante mensalitem & cyathitatem: Equidem, inquit, ô Plato, mensam & cyathum video, mensalitem & cyathitatem nequaquam video. Rectè, inquit, Plato, oculos enim quibus mensa cyathusque conspicitur, habes: mentem verò, quâ mensalitas & cyathitas videtur, non habes.

XXXIX.

Pervenimus usque ad sectam Peripateticam, quæ posterioribus temporibus una maximè omnium floruit, & ad nostra quoque tempora adhuc. Cœpit etiam præferri prioribus, tanquam melior & verior. Licet enim non prorsus absit omni errore, minus tamen aberrare putatur.

XXXIX.

Princeps Peripateticorum Aristoteles nominatur, Nicomachi (qui erat Medicus Amyntæ Macedonum Regis) filius ex Stagirâ Macedoniæ oppido, unde Stagirites est appellatus. De hoc ut aliquid longiùs exponamus, maxima ejus circa Logicam merita, à nobis postulare videntur.

XL.

Natus fuit anno circiter 381. ante Partum Virginis. Cum verò ageret annum ætatis suæ 12. & per triennium Socratem audivisset, Platoni commendatus est, cum quo 20. annos tantâ cum diligentia exegit, ut domum ejus Plato vocitaret domum Antagnostræ. Deinde Lycæum elegit, in quo 12. annos scholas habuit. Quia verò discipulorum turbâ circumfusus, in ambulando disputabat, Peripateticus ipse, sectatores Peripatetici dicti sunt.

XLI.

Logicos libros ad 70. scripsit, quorum tituli apud Laërtium in ejus vitâ exprimuntur. Ex quibus 16. tantum, quod dolemus, nobis reliqui facti sunt. Debemus ipsi hoc nomine immortales gratias, quod ab aliis confusè inventa explicuerit, variè disseminata collegerit, in ordinem disposuerit, & primus in unum opus perfectum redegerit.

XLII.

Post Alexandri, Regij sui discipuli obitum, Athenas reliquit, ne in Philosophiam bis delinquerent Athenienses, & Chalciden, quæ in Euboeâ Insulâ est, se contulit, ibique versatus, sive quod Euripi septem cursus explicare non posset, viribus destitutus, sive alia de causâ morbo correptus, ab omni sectatorum cohorte, quæ invisendi gratiâ confluerat, rogatus est, ut ipse Gymnasij, & Magisterij successorem deligeret. Quod lepidissimè simul & verecundè faciebat. Delibatis enim duobus vini poculis, altero Theophrasto Lesbio, altero Menedæmo Rhodio, firmum & jucundum esse Rhodium dixit, sed Lesbium jucundius.

XLIII.

Successore hunc in modum designato, cum extrema jam instare intellexisset, & primæ causæ misericordiam implorasset, decessit è vitâ, natus fermè sexagesimum tertium ætatis annum, sub id tempus, quo Demosthenes Orator in Calabriâ Thraciæ, hausto veneno vitam finivit, ut Laërtius aliique testes sunt.

XLIV.

Theophrastus Aristotelis successor, dicitur habuisse discipulos ad duo millia, & juxta Laërtium, multos libros Logicos scripsisse fertur, qui quales fuerint, nemo potest judicare,

XLV.

Post illa tempora, quibus in summo fastigio Logica fuerat, cœpit contemni, librique Aristotelis erant sepulti. Nam hæredes Theophrasti, homines imperiti, negligenter primùm eos servabant; deinde metuentes, ne sibi ab Attalicis Regibus, qui ad instruendam Pergami Bibliothecam, studiosissimè varia volumina undique conquirebant, eriperentur, terrâ infossos occuluerunt. Usque dùm à situ vindicatos Lucius Sylla, Princeps Romanus emeret, & Romam deferret.

XLVI.

Ab istis temporibus usque ad Ciceronem, nullum systema Logicum celebratur. Igitur primus inter Latinos Cicero fuit, qui Logicam ederet Latinam. Sicut enim Regnorum & Rerumpubl. Periodi sunt, ita etiam ingeniorum ac disciplinarum. Aristotelis & Theophrasti seculum fuerat Philosophicum & Theoreticum: paulò post secuta secula Oratoria, in quæ Cicero incidit, ideoque ob Practicas seu Politicas occupationes, rerum contemplator non usque quaque subtilis fuit.

XLVII.

Temporibus Antonini, illius Imperatoris, qui ob rarum Philosophiæ amorem, Philosophus audivit, vixit Galenus, qui libros aliquot Logicos composuit, ex quibus duo hodiè supersunt, prior de Sophismatibus, quæ in verbis contingunt: alter de optimo genere dicendi. Secundum communem opinionem, Figuram Quartam, tribus illis receptis addidit.

XLIX.

Galeno coætaneus fuit Alexander Aphrodisæus, qui in Philosophiâ Peripateticâ tam illustre nomen habuit, ut nemo olim Aristoteléi nomen consequi potuerit, qui Alexandræus non haberetur. In Logicis singularem operam præstitit, tum octo Topicos Aristotelis eruditissimis commentarijs illustravit.

XLIX.

De Porphyrio notum omnibus est, eum esse autorem Universalium. Nam ad petitionem Chrysaërij Patritij Romani, qui absque explicatione τῶν πέντε Φορῶν five Prædicabilium, Prædicamenta Aristotelis intelligere non poterat, librum κατηγορημάτων conscripsit. Ejus discipulus Jamblichus fuit, Logicæ itentidem amantissimus.

L.

Tempore Valentiniani claruit Themistius, magnus etiam Peripateticus, Præceptor Aurelij Augustini, Hipponensis in Africâ Episcopi, & insignis Logici. Vix enim viginti annorum juvenis, Aristotelis Categorias exposuit publicè, neq; unquam totâ suâ vitâ Logicam desijt magnificere.

LI.

De Severino Boethio, primo inter Latinos interprete Peripatetico, de Simplicio item, Michaële Psello, P. Hispano, Alberto Magno, Thomâ Aquinate, Raimundo Lullo, ejusque coætaneo Scoto, jam addemus nihil; quin potius hæc secula, quæ hoc nostrum antecesserunt, Hieronymo Savanorolâ, viro illustri, & à Pontifice Romano exusto, concludemus, Publici juris fecit Epitomen Philosophiæ plenam laudis, in quâ Organon Aristotelis illustravit. Edita est hic Wittebergæ M. DC. VI. emendatior & auctior operâ & studio Johan: Jessenij à Jessen, Philosophiæ Medicinæque Doctores & Professoris.

LII.

Nullum verò unquam fuit seculū, in quo plures libri Logici editi sunt, & studia Logica magis floruerunt, quàm hoc nostrum, in quo

quo vivimus. Itaque impossibile erit vel Logicas, vel Logicos omnes ad numerum revocare. Aliquot tamen sunt enumerandi.

LIII.

Anno 1511. excusum est Lipsiæ opus quoddam Logicum, Martini Polichij Mellerstadij, primi hujus nostræ Almæ Wittebergensis, recens tum fundatæ Rectoris, quod Cursum Logicum inscripsit Sapientissimo Principi Friderico, Fundatori hujus nostræ Academiæ. In quo opere nulla ex ijs, quæ circa libros Organicos à Scholasticis moveri solent, quæstionibus, penè intacta relinquitur.

LIV.

Et quia multi profitentur, sese inter omnes nostri ævi Viros doctos, tres potissimum admirari, inter Germanos Erasmus Roterod. Inter Gallos Gulielmum Budæum: Inter Hispanos Ludovicum Vivem; de hoc etiam sciendum, quod non tantum in libris 30. quos de disciplinis scripsit, in tres Tomos distinctis, multa Logica habeat; sed etiam alios libros, ad Logicam pertinentes, divulgaverit.

LV.

P. Ramum ordo excipit, qui alicubi fatetur annis totis 20. sese meditationibus Logicis fuisse occupatum. Logicam edidit primò anno 1543. Hic nescio quo œstro percitus, ab Antiquis Philosophorum documentis abhorrens, novam induxit sectam, quæ Ramistica ab Autore dicitur. Sed hæc secta Ramistica, ut rectè in Instit. Log. Rev. atque Excell. Joh. Scharfius dicit, ramenta quædam saltem retinens, florem sapientiæ potissimum perdidit.

LVI.

Anno 1447. Communis Germaniæ Præceptor, Dominus Philippus Melanchthon, Erotematum Dialect. libros 4. iterum atque iterum Lipsiæ edidit, cujus vestigia pressit Joh. Schitlerus in 3. libris Erotem: Dialecticor. quos hic Wittebergæ in publicum dedit.

57. Johan-

LVII.

Johannes Baptista Monlorius, Franciscus Toletus, Petrus Fonseca (cujus 8. libros Institut. Dialect. Jesuitæ suis discipulis proponunt) J. Zabarella, F. Piccolhomineus, Julius Pacius, Bertius, Crellius, Alijque plurimi, magnam gratiam à studij Logici amatoribus meruerunt. Sed hîc enumerare omnes, eorumque laudes efferre, & multitudo prohibet, & vires nostræ deficient.

LIX.

Non possumus tamen silentio involvere eos, qui in præsentia nostræ Academiæ Logicæ Doctores, Viros Adm. Rev. atque Excell. Dn. D. Jacobum Martini, & Dn. Johannem Scharfium, S S. Theol. Lic. adhuc indefessum Logices elaboratorem, & Professore Publicum: quibus Præceptoribus nostris, quantas debeamus gratias agere, facile quisque concludet, qui intelligit, quantas navarunt hi summi Viri in hâc arte operas.

LIX.

Atque hæc breviter nobis testatum fecerunt Logices ortum, & post hunc progressum ad nostra usq; secula. Nunc generalissima agemus fundamenta, ratione Formæ partim, partim ratione Materiæ necessaria, quibus totum quasi ædificium Logicum exædificatur.

LX.

Forma Logica est accuratus proponendi modus, quem omnes homines observare tenentur, quoties de rebus, Veritatis investigandæ gratiâ, disputaverint, & dignitatem rei neque extollit, neque minuit.

LXI.

Eundamenta, quibus innititur, subsequenti ordine Logica ponit. I Docet quinam termini apti nati sint affirmativè disponi, per exactam Synonymorum & Paronymorum cognitionem.

LXII.

Æquivoca quod attinet, illa tanquam inepta ad discursum removentur. Nam nisi distinguantur rectè, & eorum significatio-

C

nes ad

nes ad præsentem materiam accommodentur, facile possunt fraudem facere, & isthanc nostram cognitionem retardare.

LXIII.

Ufus igitur *Æquivocorum* non debet esse Positivus, sed Privativus, in remotione consistens. Siquidem Logica prudentem imitatur artificem, impertinentia removens, & ab ambiguitate liberans terminos, imprimis quæstionis ad disputandum propositæ extrema, ne errorem vel obscuritatem pariant.

LXIV.

Synonyma τὴν ἰσότητα σημαίνει, ipsum esse exprimunt; & propter diversum prædicandi morem, in Transcendentalia, Inusitata, & Prædicamentalia, Genus, Speciem & Differentiam, essentialem seu specificam, distinguuntur.

LXV.

Paronyma verò ποίον π, & habitudinem extraessentialem dicunt, eodemque modo in Transcendentia, & Vulgaria, quæ nihil aliud quam Proprium & Accidens sunt, dirimuntur.

LXVI.

Prorsus nihil abest, quin hæc insignem spirent utilitatem. Sunt enim instar exactissimæ trutinæ, quâ omnis prædicandi modus affirmativus, pensari potest; ita ut nulla prædicatio Logica verè affirmans dari queat, quæ non sit vel synonymica vel paronymica. Nam quodcunque realiter de aliquo dicitur, illud vel essentiam ejus declarat, vel notat aliquid, quod præter essentiam subjecto inest, si prius vocatur Synonymum, si posterius Paronymum appellatur.

LXVII.

II. Fabricat instrumentum, quo quemlibet conceptum affirmativè disponi aptum, ad certum ordinem Synonymorum & Paronymorum repræsentativum studiosus Veritatis referat.

LXVIII.

Quâ de causâ jam distincti ordines, distinctæque classes sunt adornandæ, ita ut omnes res sint vel in ordine conceptuum Transcenden-

locos, ex quibus medium depromitur, pro exquisitâ rei cognitione, per demonstrationem acquirendâ. Ubi Propositio probanda dicitur Apodictica, Syllogismus eam probans, Apodicticus salutatur; in quo Subjectum debet esse de Quo, Prædicatum Affectio propria, & Medius terminus αἰτιον πρώτων: Præmissæ verò necessario veræ, primæ & immediatæ, notiores, & priores conclusione, ejusdemque causa. Horum requisitorum si nullum desideratur, Demonstratio Perfecta: sin contra, Imperfecta nominatur.

LXXXV.

Effecta Demonstrationis nobilissima, Scientia videlicet, Definitio & Methodus, testantur satis, quàm nobilis hæc sit doctrina, adeò ut primatus ipsi in Logicâ etiam debeatur. Præcavit enim ne in arduis negotijs discurremus ex alienis, remotioribus, aut communioribus principijs. Edocet quibus medijs infallibilis scientia comparari queat, ut inde solidam obtineamus eruditionem.

LXXXVI.

III. Logica quoque format instrumentum, quod Locos ostendit, unde Argumenta depromenda, ad Materiam probabilem in defectu scientiæ verisimiliter confirmandam. Nam non omnia possunt demonstrari: sed dantur quæstiones quædam Dialecticæ, id est, Problemata dubia, de quibus in utramque partem disputari solet.

LXXXVII.

Utiles autem sunt ejusmodi loci non modò ad collationes de aliquo dubio eruditè & placidè instituendas: Verùm etiam ad explicandas res quasvis, & ad Themata variè tractanda, ex nominibus, ex descriptionibus, ex causis, ex adjunctis, ex similibus, &c.

LXXXIIX.

IV. Adornat locos exhibentes argumenta, quibus Veritatis studiosus Sophistas Veritatem oppugnantes, prosternere valeat. Quod fit quadruplici modo, nempe per ψυδοζαφηναι, μεταφασιν

Φασιν εἰς ἄλλο γένος, per fallacias in dictione & extra dictionem.

LXXXIX.

Hic si recte se quis præmuniverit à Sophistarum insultibus nihil metuet, sed recessum à Veritatis principijs factum artificiosâ Methodo deteget, ut ita ad incitas Sophista redigatur.

XC.

V. Denique Logica noëma secundum adornat, quod Methodus dicitur, quo mediante inclarescat, quomodo illa quæ medio adæquato probata & disputata sunt, ordine convenienti sine disponenda.

XCI.

Hic subjicit fundamenta quædam specialia: Methodus I. inserviat rebus, non res Methodo: II. Dirigatur juxta naturam intellectus nostri: III. Progrediatur à notioribus ad minus notiora: IV. Progrediatur per definitionem, divisionem, & non raro per Canones.

XCII.

De usu ut dicamus, nihil attinet, quicquid enim dixerimus, minus erit, Concludimus igitur hæc nostras Theses, & petimus

τοῖς ἀδελφαιμένοις συγγνώμην.

SOLI DEO GLORIA.

Ad Dn. RESPONDENTEM

Doctrinâ & Virtutibus Ornatissimum, Amicum & Contubernalem sibi conjunctissimum.

Non satum est doctus tantum impallescere chartis;
Est opus ut Sophiæ sacra anabathra petas.
Gratulor hoc animo tibi, dilectissime STRANCHI,
Atq; tuis studijs omnia fausta precor.
Perge modò vegeta quò vis agit enthea mentis;
Et Patris & Patriæ nobile germen eris!

Amorū ergò

L. M. Q.

deprop.

PRÆSES.

05 A 667

ULB Halle

3

004 207 866




WMA

Bl.







IN NOMINE JESU
De
ORIGINE ET
FUNDAMENTIS LOGICÆ
GENERALIBUS,

In Inclytâ Witebergensi Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS DURRII,
Dresd. Alumn. Elect. & Facult. Philos.

Adjuncti,

disputabit publicè

JOHANNES STRAUCHIUS,
Dresdensis.



In auditorio Veteri.

ad d. 11. April.

ANNO M. DC. XL.



WITTEBERGÆ,

Typis exscribebat **JOHANNES HAKE.**